Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Theologica polemica, dogmatica, speculativa et moralis- Cod. Ettenheim-Münster 255

Bulffer, Gervas

[S.l.], 1788

Brevis descriptio iuris naturalis

urn:nbn:de:bsz:31-128404

Visual Library

Brevis descriptio Juris Naturalis.

Jus naturæ et lex naturalis sæpissime inter se confunduntur, cum tamen inter se vel maxime distinguantur; jus enim generale nomen est, lex autem species juris. interim cum omnes species jus exhaurant, parum aut nihil refert, si etiam promiscue sumantur.

Jus naturæ diversas species in se continet.

1mo est jus commune, quod tam hominibus quam brutis indictum est, ut maris et feminæ conjunctio, liberorum educatio &c. 2do quod hominibus præpositum est, ut honeste vivere, alterum non lædere, jus suum cuique tribuere &c. 3tio comprehendit ea, quæ Deum et hominem spectant.

Primas duas species aliis discutiendas relinquo, solum de tertia hic disserere proposui, quia hæc sola est, de qua omni tempore tot controversiæ exortæ sunt. Sit igitur

Quæstio 1ma

Quid sit hoc jus naturæ?

ut hanc quæstionem feliciius decidere valeam, usque ad creationem hominis descendere debeo. quod Deus hominem creaverit, nemo nisi stultus negabit. etiam extra dubium est, quod idem ~~[illegible]~~ propter certum finem creaverit, quia Deus nihil in vanum operatur, cum etiam omnia terrena et totum mundum non ideo creaverit ut sint, sed ut homini adesum serviant. ergo multo magis hominem ad altiorem finem creavit hoc ipso, quia ipsi animam rationalem cum intellectu, voluntate et memoria indidit, ut homo illis utatur, et ad certum finem applicet.

2

hic finis autem, ad quem applicari debent, alius esse non potest, nisi objectum spirituale, quod est Deus, quia ante hominem nihil erat nisi solus Deus, et Angeli qui tamen ipsi propter hunc finem creati erant. si autem hæ potentiæ ad Deum dirigi debent, sequitur necessario, ut homo illum ut suum creatorem et Dominum agnoscat et veneretur atque illi serviat. hæc omnia ipsa conditio hominis requirit. nam si Deus creator hominis est, homo illum ut creatorem et factorem agnoscere debet, et hoc ipso quia creatura est, Deo subjectus et servus eius est, et sic ipsi servire tenetur. finis ergo, cur Deus hominem creaverit, est, ut hic illum ut suum creatorem agnoscat, et ei tanquam Domino suo serviat. et ut hoc facere possit, rationem et intellectum ei dedit, ut suam obligationem agnoscere valeat. propterea scripsit sua præcepta in corde eius, Rom. 2. 15. ut ea semper, præ oculis habeat, quæque eum semper ad observationem eorum admoneant, et sic ex instinctu naturali faciat q et ne in cognitione sua erret, præceptorem simul et judicem ei indidit nimirum conscientiam, ut eum in dubio instruat, et facta eius aut approbet, aut reprobet, prout experientia quotidiana nos docet. nam conscientia perturbata semper sæva præsumit sap. 17. 10. ubi econtra conscientia bona est gloria hominis. 2. cor. 1. 12. si ergo hæc omnia bene perscrutor, sequitur

q ad quod tenetur.

Definitio: quod jus naturæ nihil aliud sit, quam præcepta divina cordi hominis impressa, per quæ homo ad finem suum, propter quem creatus est, dirigitur, et ad honeste vivendum obligatur.

sic ipse S. Paulus hoc jus describit Rom. 2. 14. ubi ait:
"gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis
"sunt, faciunt, eiusmodi leges non habentes, ipsi sibi sunt
"lex, qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus
"suis, testimonium reddente illis conscientia ipsorum,
"et inter se invicem cogitationibus accusantibus, aut
"etiam defendentibus."

An autem Deus hæc præcepta animæ hominis physicè impresserit, prout postea Decalogum in tabulis lapideis Judæis descripsit, affirmare non audeo, cum sufficerit illuminatio divina, quâ homo illuminatur ad cognoscendum voluntatem divinam præcipientem bonum et prohibentem omne malum, adeo ut voluntati divinæ conformiter vivat hoc ipso, quia ad imaginem Dei creatus est, et sic imaginem Dei in actibus suis repræsentet. interim tamen quia homo est ipse imago Dei, talis illuminatio est ei naturalis, et ideo bene dicitur animæ eius impressa. his conformiter loquitur Ecclesiasticus c. 17. 5. ubi ait:
"Deus dedit illi cor excogitandi, et disciplinâ intellectus
"replevit illum, creavitque illi scientiam spiritus, et sensu
"implevit cor illius, et bona et mala ostendit illi. ut
"nomen sanctificationis collaudet, et glorietur in
"mirabilibus eius, atque magnalia enarret operum eius."
sed mittamus hanc quæstionem, quia potius curiosa quam utilis est, cum nesciamus quomodo Deus cum et in anima cum spiritu agat.

Quæstio 2da

Utrum præcepta Deus animæ impresserit?

Deum præter præcepta infusa primis hominibus et alia præcepta oretenus dedisse, constat ex c. 1. et 2. genesis,

2

hic finis autem, ad quem applicari debent, alius esse non potest, nisi objectum spirituale, quod est Deus, quia ante hominem nihil erat nisi solus Deus, et Angeli qui tamen ipsi propter hunc finem creati erant. si autem hæ potentiæ ad Deum dirigi debent, sequitur necessario, ut homo illum ut suum creatorem et Dominum agnoscat et veneretur atque illi serviat. hæc omnia ipsa conditio hominis requirit. nam si Deus creator hominis est, homo illum ut creatorem et factorem agnoscere debet, et hoc ipso quia creatura est, Deo subjectus et servus eius est, et sic ipsi servire tenetur. finis ergo, cur Deus hominem creaverit, est, ut hic illum ut suum creatorem agnoscat, et ei tanquam Domino suo serviat. et ut hoc facere possit, rationem et intellectum ei dedit, ut suam obligationem agnoscere valeat. propterea scripsit sua præcepta in corde eius, Rom. 2. 15. ut ea semper, præ oculis habeat, quæque eum semper ad observationem eorum admoneat, et sic ex instinctu naturali faciat q et ne in cognitione sua erret, præceptorem simul et Judicem ei indidit nimirum conscientiam, ut eum in dubio instruat, et facta eius aut approbet, aut reprobet, prout experientia quotidiana nos docet. nam conscientia perturbata semper sæva præsumit Sap. 17. 10. ubi econtra conscientia bona est gloria hominis. 2. Cor. 1. 12. si ergo hæc omnia bene perscrutor, sequitur

q ad quod tenetur.

Definitio: quod jus naturæ nihil aliud sit, quam præcepta divina cordi hominis impressa, per quæ homo ad finem suum, propter quem creatus est, dirigitur, et ad honeste vivendum obligatur.

Sic ipse S. Paulus hoc jus describit Rom. 2. 14. ubi ait:
"gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis
"sunt, faciunt, eiusmodi leges non habentes, ipsi sibi sunt
"lex, qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus
"suis, testimonium reddente illis conscientia ipsorum,
"et inter se invicem cogitationibus accusantibus, aut
"etiam defendentibus."

An autem Deus hæc præcepta animæ hominis physicè impresserit, prout postea Decalogum in tabulis lapideis Judæis descripsit, affirmare non audeo, cum sufficiant illuminatio divina, quâ homo illuminatur ad cognoscendam voluntatem divinam præcipientem bonum et prohibentem omne malum, adeo ut voluntati divinæ conformiter vivat hæc ipse, quia ad imaginem Dei creatus est, et sic imaginem Dei in actibus suis repræsentet. interim tamen quia homo est ipse imago Dei, talis illuminatio est ei naturalis, et ideo bene dicitur animæ eius impressa. his conformiter loquitur Ecclesiasticus c. 17. 5. ubi ait:
"Deus dedit illi cor excogitandi, et disciplinâ intellectûs
"replevit illum, creavitque illi scientiam spiritûs, et sapie-
"implevit cor illius, et bona et mala ostendit illi. ut
"nomen sanctificationis collaudet, et glorietur in
"mirabilibus eius, atque magnalia enarret operum eius."
sed mittamus hanc quæstionem, quia potius curiosa quam utilis est, cum nesciamus quomodo Deus cum et in anima cum spiritu agat.

Quæstio 2da

Utrum præcepta Deus animæ impresserit?

Deum præter præcepta insuta primis hominibus et alia præcepta certenus dedisse, constat ex c. 1. et 2. genesis,

et alibi sæpius, de quibus hic non est quæstio, quia de sola lege naturali agitur.

Si rem juxta veritatem et essentiam rei perscrutar dicere non possum, quod una vel altera res sit tantum juris naturalis, sed quod hoc jus sit lex universalis omnium actionum humanarum. non laudatus Ecclesiasticus ait, quod Deus dederit homini cor excogitandi, et disciplina intellectûs repleverit illum, creaveritque illi scientiam spiritûs, et sensu impleverit cor illius, et bona et mala ostenderit illi. adam ergo in perfecta scientia creatus est, quam et statim ostendit, dum omnibus animantibus juxta naturam suam nomina imposuit. etiam illi bona et mala ostendit, dum ei sub pœna mortis prohibuit de arbore scientiæ boni et mali comedere. hæc arbor in se nullam scientiam habuit, sed sic dicta est, eo quod si adam obediens esset, in boni scientia permansurus sit, si inobediens, non tantum scientiam mali sit habiturus, sed etiam ipsum malum sensurus, prout postea expertus est. utraque scientia in natura hominis permansit. et quia Deus bonum præcepit, et malum prohibuit, ratio et conscientia homini dictant bonum esse faciendum, malum fugiendum. et sic ratio et conscientia ~~sunt~~ sunt propriè lex naturæ, non quod à natura proveniant utpote à Deo infusæ, sed quod in natura contineantur.

Et sic hæc lex est fundamentum omnium aliarum legum divinarum, quia omnis lex fundatur in lege naturali, et hæc in ratione, et ratio in voluntate

divina, à qua omnis justitia et æquitas provenit, cum
omne bonum fit, quod juxta voluntatem divinam fit,
econtra omne malum, quod contra illam fit. ex quo
colligitur, homines in lege naturæ decalogum optimè
nôsse, cum omnia eius præcepta sint fundata in lege na-
turæ. nam præter relationem, quam ab adamo acceperunt sed successores
quod Deus creaverit mundum, ex rebus creatis per solum
lumen naturæ eius Divinitatem et omnipotentiam ag-
noscere potuerunt, et quidem adeò certè, ut inexcusabiles
sint. Rom. 1. 20. jam si Deum ut creatorem et Dominum
suum agnoverunt, se etiam ut creaturas et servos ag-
noscere debuerunt, et sic ratio eis statim dictavit, se ob-
ligatos esse ipsum venerari, et ei servire. et sic habemus
tria prima præcepta. quod parentes teneantur suos filios
educare, diligere, filios econtra illos venerari et illis
obedire, instinctus naturæ et animalia docet. cetera
præcepta proximum tangentia quod spectat, servit uni-
cuique pro regula illa gnome naturalis Matth. 7. 12. „ omnia
„ quæcunque vultis, ut faciant vobis homines, et vos facite
„ illis „ et vicissim: quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.
nam qui hanc regulam observat, necessariò proximum
suum in nullo lædere, sed eum sicut se ipsum diligere debet.
imò nulla lex humana subsistere potest quin fundata
sit in lege naturæ, quia omnis lex debet esse rationabilis
consequenter à ratione dictata et in æquitate fundata
et sic à lege naturæ proveniens. sed si sic res se habet
oritur

Quæstio 3tia

Si omnes leges fundantur in lege Naturæ
unde veniunt tot diversa dictamina rationis
Cum lex naturalis sit una et immutabilis?

Ad solvendam hanc quæstionem homo considerari debet in duplici statu, nimirum in statu Innocentiæ et statu peccati. quæ hucusque de lege naturæ dixi, intelligenda sunt de statu Innocentiæ, in quo Deus hominis hoc jus infudit. peccatum autem subsequens aliam legem in corpus humanum invexit, nimirum legem carnis, „quæ semper „concupiscit adversus spiritum, et spiritus adversus carnem, „hæc enim sibi invicem adversantur, ut non quæcunque „volumus faciamus." galat. 5. 17. hanc legem describit S. Paulus Rom. 7. his verbis: „condelector legi Dei secundum „interiorem hominem, video autem aliam legem in „membris meis repugnantem legi mentis meæ, et capti„vantem me in lege peccati, quæ est in membris meis, „vi cuius non quod volo bonum hoc ago, sed quod odi „malum, illud facio. velle adjacet mihi, perficere autem „bonum non invenio," quia corpus, quod corrumpitur, aggravat animam sap. 9. 15. intellectum obscurat, et omnes sensus hominis captivatos tenet. interim tamen propterea homo non tenetur malum facere, quia quod viribus nostris deest, supplet gratia Dei Rom. 7. 25. adeo ut idem S. Paulus philip. 4. 13. dixerit: „omnia possum in eo, qui „me confortat." et dum à christo à tribulatione liberari rogabat, respondit ei christus 2. cor. 12. 9. „sufficit tibi „gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur."

q animæ

propterea nos admonet Rom. 12. 21. dicens: „noli vinci à „malo, sed vince in bono malum. omnia igitur dependent à nostro consensu. si legi Dei, quam naturæ impressit, semper bonum faciemus; si autem legi carnis consentimus, semper malum operabimur. „qui enim secundum „carnem sunt: ait S. Paulus Rom. 8. 5: quæ carnis sunt „sapiunt; qui verò secundum spiritum sunt, quæ sunt „spiritûs sentiunt.„ quia igitur videmus, quod omnes hæretici et libertini suas sectas tantum secundum carnem effinxerint, palam est, eos non secundum legem naturæ, sed secundum legem carnis egisse. „sed sapientia „carnis inimica est Deo, quia legi Dei se non subijcit, „sed ei prorsus contraria et rebellis est, ideo Deo placere „non potest. Rom. 7. 7. quod clarè patet ex ipsorum doctrina, quæ non ex sacra scriptura, sed ex proprio cerebro desumpta est„ si quis autem aliter docet, et non acquiescit sanis „sermonibus Domini nostri Jesu christi, et quæ secundum „pietatem est doctrinæ, superbus est et nihil sciens.„ 1. Tim. 6. 3. quos hîc pluribus refutare propositum non est. sed obijciunt

Quæstio 4.

Cur Deus homini concessit libertatem conscientiæ, si homo semper juxta jus naturæ operari debet? nonne et ipsa hæc libertas ex jure naturæ oritur?

R. eos omnes gravissimè errare, qui putant libertatem conscientiæ ex lege naturæ provenire, adeò ut iis ex hac lege licitum sit credere et facere quod iis libuerit, adeo, ut sibi nullum scrupulum faciant, dum sibi

q assensum probemus

propriam religionem seligunt, praecepta divina corrigunt, aut omnino abjiciunt; nam lex naturalis est in se immutabilis, et à Deo ipso hominis impressa, ut semper observetur, libertas autem humana est nova concessio divina hominis relicta, ut etiam ~~aliquid~~ ex se, si legis consentit, bonis operibus aliquid contribuere, possit et merita facere possit, quo Deus premiare valeat. hac libertas est quidem naturalis, quia in natura continetur, sed non est lex naturalis, non ipso quia libertas est, et hominem non ligat, cum tamen omnis lex à ligando lex dicatur. neque provenit ex lege naturali cum in hominis potestate sit, lex autem naturalis à Deo imprimatur. ex hac libertate habet homo quidem jus seligere Religionem quamcunque voluerit, sed quia tantum una est, quae salvat, et hac à Christo ipso instituta est, eam amplecti tenetur, si vult salvari, secus sibi ipsi viam ad damnationem parat.

Quæstio 5.

An Religio christiana etiam provenial ex lege naturæ?

R. Quoad substantiam tam lex vetus quam nova in lege naturæ fundatas esse, non autem quoad caeremonias. prima pars probatur ex hoc: Christus ait Matth. 22. 37. quod in his duobus praeceptis Charitate scilicet Dei et proximi tota lex pendeat et propheta, quia omnia praecepta utriusque legis hanc duplicem charitatem pro fine habent. cum igitur lex naturalis eadem

precepta pro fine habeat, utraq; Religio in lege naturæ fundata est; nam finis unicus creationis humanæ est, ut homo Deum ut creatorem suum agnoscat, veneretur, et diligat, et proximum tanquam imaginem suam amet, „ut omnes unum sint sicut Pater in me et ego „in te, sic et ipsi in nobis unum sint.„ Joan. 17. 21. quia ergo Deus hæc precepta ab initio creationis homini indidit, et postea per precepta positiva tantum renovavit, hinc precepta hæc necessariò in lege naturæ et sic utraq; Religio fundatur. ex quo sequitur, quod omnes aliæ sectæ et doctrinæ, quæ in lege naturæ non fundantur, mera figmenta humana sint, quæ non ex Deo et sana ratione, sed ex stulta et impia captiositate et abusione libertatis nascuntur.

Probatur etiam 2. pars. Lex naturalis quidem ab initio homini aliquam religionem erga Deum precepit hoc ipso, quia eum adorare et venerari docuit, sed quia redemptionem nostram distulit, ex quâ verum et ipsi acceptabile sacrificium promanaret, nempe sacrificium crucis, Deus quoq; cæremonias et alias leges ad ipsum pertinentes distulit, et filio suo revelandas reservavit, hoc ipso quia ceremoniæ sacrificio conformes esse debent. et quod sacrificia et ceremoniæ, quas Deus in lege naturæ et Moysis precepit, tantum figuræ essent veri sacrificij, eis satis ostendit, dum eis mortem filij sui in immolatione Isaac in eodem loco, in quo Christus mortuus est, ~~prefiguravit~~ gen. 22. 1. sicut et postea in agno paschali Exod. 12. prefiguravit, et per

Davidem psal. 109. eis revelavit, alium sacerdotem non secundum ordinem Aaronis, sed secundum ordinem Melchisedech sanctorum, cuius sacerdotium in aeternum maneat. itaque "priusquam veniret Christus, sub utraque "lege custodiamur inclusi in eam fidem, quae revel- "anda erat, et sic utraque lex paedagogus noster fuit "in Christo, ut ex fide eius justificemur." Galat. 3. 23. quia ergo tam sacrificia quam ceremonia et leges ad ipsas pertinentes, juxta ordinationem divinam mutari debuerunt, in lege naturae contineri non potuerunt, sed juxta varietatem sacrificiorum specialiter revelari debuerunt.

Si ergo Religio christiana in lege naturae, quae omnes homines obligat, fundata est, quomodo nostri pseudo-philosophi, qui et ipsi suas sectas ex eadem lege probare nituntur, illam abjicere poterunt? si omnia praecepta Divina secundum jus naturae data sunt, quomodo illa observatu impossibilia dicere possunt? an non clare ostendunt, se nullum Deum agnoscere, et nullam sanam rationem possidere? sane tales homines "qui putant se esse sapientes, stulti facti "sunt — quia commutaverunt veritatem in mendacium "quia non probaverunt Deum habere in notitia, et "ideo tradidit illos deus in reprobum sensum, ut faci- "ant ea, quae non conveniunt, repletos omni iniquitate "malitia, fornicatione, avaritia, nequitia, plenos "invidia, homicidio, contentione, dolo, malignit- "ate — qui digni sunt morte, et non solum, qui ea "faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus." Rom. 1.

1037

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
gefördert durch Baden-Württemberg
MINISTERIUM FÜR WISSENSCHAFT, FORSCHUNG UND KUNST

1038

BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
gefördert durch
Baden-Württemberg
MINISTERIUM FÜR WISSENSCHAFT, FORSCHUNG UND KUNST